

**05**

**A**

**2514**





PROSPERANTE JEHOVAH!

<sup>De</sup>  
REPUBLICA

IN COMMUNI,  
EXERCITATIONEM POLITICAM  
PRÆSIDE

M. GERHARDO MARTENS,

Stadâ - Bremensi,  
Publicæ Philosophantium disquisitioni  
exponit,

DAVID HARTMANNUS,

Freibergâ o Silesius,

*Ad diem 17. Februarij, in Auditorio Minori,  
Horis matutinis.*

---

Typis JOHANNIS HAKEN,

Anno Clj 12Cj LXIV.

*Wittenbergi* J. M. Baldin



V I R I S

*Plurimum Reverendis, Clarissimis atq; Doctissimis,*

**DN. DAVIDI HARTMANNO,**

*Ecclesiae Nicolstadenſis Pastori*

*optimé merito:*

*Nec non*

**DN. JOACHIMO CRETSCHMERO,**

*Pastori Ecclesiae, quae Christo in Zentschel  
colligitur, vigilantissimo,*

*Illi Dno Parenti, huic Dno Patrneli, hoc quale quale*

*ἄσκημα πολιτικόν, in gratia mentis ὑμβολον,*

*ac ulterioris benevolentiae & favoris*

*ἡλελητρον,*

*Cum*

*oblatione precum pro incolumitate indefessa,  
devotè dedicat & consecrat*

**DAVID HARTMANNUS.**



05 A 2574



I. N. J.

§. I.



Um in rebus habeat id, in quo se exerceat curiosa mens, nos misâ h. l. ὀνοματολογία, quam prolixè satis prælibârunt *D. Christ: Matth. l. 2. Pol. Exerc. 1, s. 1. & Reinh. König Theat. Pol. part. 1., t. 1, n. 6. & seqq. ad πραγματολογία* accingimur, eamq; à definitione, quæ teste subtilitatum Magistro *Exerc. 301, s.*

*1., p. 859*, est anchorarum omnium firmissima, rectò exordimur tramite.

II. Variæ autem Reipublicæ circumferuntur definitiones. Aliter enim eam definit *Cicero lib: 3 de Leg: Aliter Bodinus l. 1. de Rep: c. 1., p. 1.* Suam quoq; definitionem habet *Job. Casus Sph: civ. l. 3., c. 4., q. 1., p: 124.* Suam itidem *Gregor. Tholosanus l. 1. de Rep. c. 1., n. 6, Timpl. l. 1. Pol. c. 2, in præc. & q. 1. Lamb. Danaus Pol. Christi. l. 1., c. 2. Job. Althusius Pol. c. 9., n. 1 & 3., p. 167., Paulus Bufius l. 1. de Rep. c. 3., n. 3. Keckerm. in præcogn: Syst. Pol. pag. 7., Georg. Schonborn. Pol. l. 1, c. 4., Christ. Matth. l. c. s. 2., & Reinh. König l. c. n. 4.* Nos censemus Rempublicam omnium optimè definiri, quòd sit ordo civitatis inter imperantes & obedientes. Quæ definitio non obscure colligi potest ex *Philos: l. 3. Pol. c. 1., & 6., & 4. Pol. c. 1.* Ex quibus patet, Bodinum suos de Republ. libros eleganti mendaciò, velut vestibulò quòdam exornâs se, dum *l. c.* affirmare non veretur, se definitionem ab iis, qui de Republica scripserunt, prætermisam principiò posuisse. Nam eam ab Aristotele minimè prætermisam

Δ 2

missam

missam esse, ex *l. c.*: liquidò apparet. Et quis sanæ mentis non videt, nimis arrogantem & misellam hanc esse sequelam: Nulla est Rei publicæ tradita definitio, quia nullam legit Bodinus, eum à Bodini latentia ad rei negationem N. V. C.

III. Constat hæc genere & differentiâ. Genus Reipublicæ non est (1) Status hominum, ut vult *Zach. Freudenr. l. 1. Pol. c. 1.*; cum sit illius synonymum. Est enim vocabulum status ab Italorum idiomate tractum, atq; in hæc significatione denotat ipsam Rempublicam, & dum transfertur in lingvâ latinâ, per Rempublicam explicatur, ut inquit *Henning. Arnis. Rel. Pol. l. 2., c. 1., s. 1., p. 41.* Hinc etiam *Keckerm. l. c.* hæc vocabula pro synonymis accipit, et inter se invicem permutat. Neq; (2) quædam communitas aut societas, ut censent *Tholos. l. c. n. 6 & 10 & Alsted. l. c.*; aut consociatio, ut putat *Albus. l. c.*, quia hoc genus nimis latè patet, quippe, quod materiæ simul & formæ commune est. In definitione verò genus proximum est assumendum; quia, quò propiùs ex rei naturâ petitur, eò evidentius definiti essentiam explanat, quod, juxta *Aristot. 2. Post. Anal. c. 3.*, bonæ definitionis munus est. Quâ de causâ idem quoq; in *Topicis l. 1., c. 7.*, & *l. 6., c. 3.*, transcendentia à definitionis partibus prorsus excludit. Neq; (3) multitudo, ut cum Bodino contendit *Keckerm. l. c.*, quam sententiam *Michael Piccartus comm. in Pol. Arist. l. 3., c. 6., pag. 378.*, graviter refutat. Sed (4) est ordo. Et quamvis *Michael Piccartus Phil. Altdorph. disp. 30., rh. 14 & 17* nihil interesse putet, sive dicatur ordo, sive ordinatio, nos tamen cum *Arnis. l. c. p. 43 & Dn. D. Jac. Mart. l. 2. Pol. c. 1., p. 314* rectiùs longè dici ordinem, quàm ordinationem censemus. Quod vel indè liquet, quia uti Respublica, ita & ordo permanens quippiam est, & statum; ordinatio verò successivum quippiam, productionē & motum aliquem implicans.

IV. Rectè autè cum Philosopho Reipublicæ genº assignamus ordinē, quod quidē nō est ex prædicamentis depromptū, cum nec Respublica per se in illis sit. Terminº quippe est, in cōplexº, & ens per aggregationē. Nihilominus in tantū bonū est quantū convenientius haberi nequit. Nec n. forma civitatis esse potest

Respu.

Respublica, nisi quatenus est ordo. Nā civitas materiae redolet  
indolem; opus itaq; est formā, quae illā in certā cogat συμμε-  
τρίαν. Talis verò est ordo civitatis, animorum consensum praē-  
supponens, quò sublatò mera confusio, & errorum ἀταξία in  
civitate hospitatur. Vide prolixius hāc de re, ex *Caso l.c.*, dis-  
ferentem *Mich. Piccartum l.c.*, à *th. 8 usq; ad 22*. Equidem *Kee-  
kermannus Syst: Pol. praecogn. pag. 7* & *Christ. Matth. l.c. f. 5.*, p. 201  
per ordinem intelligunt ordinem prudentiae, justitiae et aliarum  
virtutum. Sed huic ipsi cum *Bodin. l. 1 de Rep. c. 1.*, p. 1 & seq. &  
*Dan. 1 Pol. c. 2 & 3* innituntur hypothese, quasi Respublica vitio-  
sa nomen Reipublicae non mereatur, & ab ea prorsus latronum  
coetus arceantur, de quā hypothese infra *th. 16 & 17*. dispiciemus.

V. Cæterum genus hoc duplici coarctatur differentiā,  
generali videlicet, & speciali. Illam absolvit subjectum proxi-  
mum & immediatum, quod est civitas. Non enim Respublica  
est ordo cujuslibet multitudinis, v. gr. exercitus; sed civitatis.  
Idcirco à Philosopho etiam *3 Pol. c. 6*. dicitur πόλεως τάξις & *4*.  
*Pol. c. 1.* τάξις ἐν τῇ πόλει & *4 Pol. c. 11.* βίος πόλεως appella-  
tur. Per civitatem verò non intelligitur communiter ita  
dici solita, sed in sensu philosophico accepta, quò pacto nihil  
impedit, quò minus plures alicubi civitates dentur, ut tamen  
& una sit civitas, & una Respublica, quod ostendunt *Bodinus l.*  
*c. n. 10.*, p. 15., & *Dn. Cellar. Pol. l. 2.*, c. 1., n. 10 & 11. Exemplo  
est nostra Respublica Romano-Germanica, in quā præter non  
liberas, 64 liberas imperiales civitates recenset *CL. D. Job. The-  
od. Sprengerus in Jurispr. publ. p. 371*. Conf. quoq; *pag. 319. & seqq.*

VI. Specialem constiunt imperantes & obedientes,  
quæ ex ipsā Reipublicae essentiā petita est, & priorem differen-  
tiam adhuc magis coarctat. Est enim Respublica ordo inter  
imperantes & obedientes, potissimum ab una Summa Potesta-  
te, quod ex *3 Pol. c. 6* è voce μάλις colligitur, dependens. Nam  
omnis ordo refertur ad unum primum, sicut tradit Philosophus  
*l. 12. Met. c. 10*. Ideò & h. l. ne processus in infinitum fiat, sub-  
sistendum erit in uno aliquo primo, qualis dicitur vel κατ'  
αὐτὸ, per se & naturā suā, ut in Monarchia, vel analogiā qua-  
dam & συνδρομῇ, seu concursu in unum, ut in Oligarchia, ubi  
plures unius vicem subeunt, & in unum collati fiunt quasi ho-  
mo unus,

mo unus, multos pedes, multas manus, multosq; sensus habens, ut loquitur *Philos. Pol. l. 3 c. 11.*

VII. Ex hac differentiâ pronô ( ut ajunt ) alveô hoc fluit *πόσιμα*, civitates, quæ liberæ imperiales dicuntur, nomine Reipublicæ propriè insigniri non posse. Licetenim jure suo municipali ut plurimum utantur, capite tamen, ut eâ parte, à quâ motus omnis in reliquum corpus derivatur, destituuntur. Omnia quippe membra, quantumvis accuratè disposita, quamdiu capiti subjiciuntur, & ab eo reguntur, partes tantum sunt totius corporis, nec pro integro se corpore venditare possunt, ut loquitur *Arniseq l. c. C. inf. B. Dn. D. Jac. Mart. l. d. p. 315.*, *Bodin. l. 1. de Rep. n. 3. p. 4.*, *Petr. Gregor. l. 1. de Rep. c. 1. m. 9.*, & *Velst. disp. Pol. 5. q. 1.*

VIII. Haftenus de Reipublicæ definitione. Cùm autem nihil sit à se ipso, causas Reipublicæ ut indagemus, operæ videtur esse pretium. Est verò *causa* Reipublicæ vel *externa*, vel *interna*. Illa est vel *efficiens*, vel *finis*. *Efficiens* est vel *universalis*, vel *particularis*. Illa est *Deus*, partim *ratione originis*, quia ab eo, tanquam summô mundi Monarchâ, omnis *ἐξ ὅρα ὑπερῆχρα* promanat, velut ex *Sap. 6 v. 1 & 3.*, *Psalm. 82 v. 6.*, *Rom 13 v. 1.*, dilucidè constat: partim *ratione autoritatis*, quia Deus adhuc Rectores populi Majestate instruit atq; munit, quemadmodum ex *Prov. 8 v. 15* apparet.

IX. Cæterùm non sequitur, ut *Bodin.* putat *l. c. c. 6. n. 46 & l. 4. c. 2. n. 371.*, Respublicas vi primùm coaluisse; quia Nimrodus Chami nepos violentô modô acquisivit imperium, sicut verba textûs videntur innuere *Gen. 10. v. 10.* Distingvendum enim est inter Rempublicam ipsam, & inter imperium Tyrannicû, quô Respublica nonnunquâ administratur, quæ duo *Bodin* confundit. Nô fuit Nimrod primô Reipublicæ autor, cùm ante ipsum fuerit imperium politicum. (Potestas enim Gladii antè *Gen.* scilicet *9. v. 6.* est instituta) sed imperii Tyrannici. Nam ille imperium politicum sive civile, quod proximè accedit ad patrium, commutavit in despoticum sive herile. Quamvis ergò fuerit autor talis vel talis modi acquirendi, & administrandi



nistrandi Rempublicam, qui à Deo minimè probatur; negamus tamen nullam ante ipsum fuisse politicam potestatem eamq; idcirco à Deo non dependere; ut pote, cum à modi negatione, ad rei ipsius negationem N. V. C. Quòd verò à Deo propitio, non irato sint Respublicæ, vide *pec. quest. penes Christ, Matth l. c. sect. 3.*

X. *Particularis, non est hominum improbitas.* Nam hæc ratione Respublicæ, poenæ locò, humano generi fuissent indictæ, & à Deo irato originem ducerent, quæ opinio valdè est improbabilis, cum etiam in statu innocentiae politiaë viguissent. Vid. *Gregor. Tholos. l. 1. de Rep. c. 2., Lamb. Danaus l. 1. Pol. Christ. c. 4., Timpl. l. 1. Pol. c. 3., q. 10., Keckerman. in præcogn. Syst. Pol. p. 12., & disp. 29. Curs. Ph. q. 3. & König l. c. n. 33., p. 9.* Imò oportet adhuc gradus imperantium & obedientium esse distinctos, etiamsi omnes probi essemus, ut inquit *Hieron. Prætorius Tb. Pol. l. 1., c. 1., p. 173.* Neq; etiam ulla ex iis est Reipublicæ causa, quas prolixè recenset, & graphicè refellit *Keckerm. l. c. p. 11., & seqq., & disp. 29 Curs. Phil. q. 2.* Sed ea vel est *principalis, vel minus principalis.*

XI. *Principalis est mutuus, certorum hominum, ad vitam civilem vivendam sese obligantium, consensus. Minus principalis est vel impulsiva, vel organica.* Illa dennò vel est *ὑπονομήν*, quæ est naturalis hominum inclinatio, divinò afflatu incitata. Vid. *Daneum l. 1. Pol. c. 3., Timpl. l. 1. c. 3., q. 4., Schönborn. l. c. & Keckerm. l. d.* Et hæc est, quod *Aristoteles quoq; l. 1. Pol. c. 2.* docet, civitatem esse à natura. Unde & homo non immeritò *ab Arist. 3 Pol. 4.* naturâ animal politicum appellatur. De quâ appellatione vide plura apud *Cas. l. 1., c. 2., q. 2., p. 12., Arnif. Rel. Pol. l. 1., c. 1., s. 1., p. 9. Timpl. l. 1., c. 3., q. 5., & Christ. Matth. l. 2 Syst. Pol. s. 3., p. 198., n. 5.* Vel *ὑποκαταρξιόν*, quæ partim est *indigentia.* Homo enim magis appetit conservationem universi, quàm sui. Omnis autem appetitus est rei absentis *Scal. excre. 317., s. 3.* Ergò & societas politica per accidens oritur ex *indigentia; partim injuria, quæ Magistratûs operâ depelluntur.*

XII. *Orga*

XII. *Organica* Reipublicæ causa est vel *communitertalis* vel *exemplaris*. Illa vicissim vel est *ordinaria*, vel *extraordinaria*. Ad istam referimus *electionem* & *successionem*. Ad hanc *occupationem* & *fortitionem*. Videantur de his mediis *Politici* passim. Cum primis verò *Arniseus Rel. Pol. l. 2., c. 2. à pag. 413. usq. ad 482*, & *Hieron. Prætorius Theatr. Pol. c. 2., p. 174 & seqq.* *Exemplaris* denno vel est *primaria*, vel *secundaria*. Illa est *Respublica*, tum *mundana*, in quâ Deus creator et creature; tum *Christiana*, in quâ Deus Redemptor & fideles. Hæc verò est optima quædam *Respublica civilis*, ut *Mosaica*, ratione legum forensium, quatenus illæ sunt juris communis; non verò *particularis*, vel *Romana*, vel *Spartana*, vel similis.

XIII. *Finis* Reipublicæ est vel *universalis* & *ultimatus*, vel *particularis* & *subordinatus*. Ille est vel *absolutè talis*, qualis est gloria Dei Omnia n. propter unū illud ens sunt, quod nō est propter aliud, præter se, ut ex *Scal. Exerc. 250 s. 1.*, inquit *B. Dn. Sperl. Syn. Phys. l. 1., c. 4., præc. 4.* Vel *respectivè universalis*, qui vel est *divinus*, & in verbi divini exercitiō, vel *humanus*, & in artiū honestarum studiō consistit. *Particularis est utilitas*. Nam omnis *Respublica utilitatem*, ceu finem, sibi propositam habet, quippe propter quam ipsa civitas ab initio condita fuit. Oportet igitur, ut, qui summa rerum potiuntur, eandem respiciant. Hic verò denno vel est *primarius*, ut utilitas publica, juxta alios, bonum publicum internum. Vid. *Casum sph. civ. l. 3., c. 4., p. 125. Timpl. l. d. q. 2 & Keckerm. Curs: Phil. disp. 29., q. 4.* Vel *secundarius*, qui est utilitas privata. Etenim, non omnia imperia parentium spectant utilitatem, sed & imperantium, de quo vide *Hug. Grotium*, contra *Vasquium* disputantem, *libro de jure B. & P. l. 2., c. 1., n. 9., p. m. 104.*

XIV. *Interna* Reipublica causa alia est *materia*, alia *forma*. *Materiam* ex qua non agnoscunt accidentia, neq; ergo & *Respublica*, cum materia ex qua sit substantia, & dicatur solum per ordinem ad corpus naturale. Confer *Dn. Scheibl. Met. l. 1., c. 22., tit. 15., a. 2., n. 174., & l. 2., c. 6., tit. 3., a. 5. n. 42 & seq.* *Materia* verò in qua vel est *remota*, quæ est regio, vel *proxima*,

*proxima*, quæ non sunt parietes, cum in parietibus non sit Respublica, ut inquit *Pompejus*, cum 200 Senatores, ac meliorem civium partem ab urbe, quam Cæsari reliquerat, seduxisset; sed civitas. Vid. *Bodin. l. 1. n. 50 p. 78.*, & *l. 4. n. 422. p. 659.*, & *Keckerm. l. c. p. 7.*

XV. *Forma* Reipublicæ propriè non datur. Ut enim monstrosa & absurda est Reipublicæ materia propriè sic dicta: ita & monstrosa ac absurda futura esset forma, propriè ita dicta, Reipublicæ. Κατ' ἀναλογίαν autem & impropriè ordinem, sive harmonicam partium Reipublicæ coordinationem, consensum, qui membrorum Reipublicæ anima & cor unum est, includentem, formam Reipublicæ esse dicimus. Per hunc enim ordinem Respublica est id, quod est, ita ut falsum sit, ordine sublatò Rempublicā salvam atq; incolumem permanere.

XVI. Tantùm de causis Rempublicam constituentibus. Rectò jam tramite tendimus ad Reipublicæ divisionem, quæ est gemina, vel *accidentalis*, vel *essentialis*. Accidentaliter Respublica dividitur vel in ὀρθήν s: rectam, probam, perfectam & virtuosam: vel ἡμαρτημένην seu corruptam, improbam, vitiosam & prolapsam. Illa communem imperantium utilitatem; hæc verò privatam intendit. Dicitur hæc divisio accidentalis, quia à diversis imperantium qualitatibus, & à Reipublicæ fine, qui est extra ejus essentiam, deprompta est. Non autem propter eam est divisio æquivoci in sua æquivocata, ut putat *Alstedius l. c. col. 2332.* Quò etiam inclinatur *Michael Piccartus*, qui *disp: 30. Phil. Altdorph. th. 38* formas, quæ hunc finem, qui est, bene & beatè vivere, & media ad illum non habent præscripta, Respublicas appellari non posse statuit. Sed frustra. Etenim rectæ & aberrantes definitione & essentiâ conveniunt, cum Respublica ad bonam & malam se habeat indifferenter: ideoq; utraq; est Respublica, & de ejus nomine non immeritò participat. Quemadmodum enim syllogismus in materia non bonus tantùm, sed & malus est syllogismus. Homo non bonus tantùm, sed etiam malus est homo. Vinum non generosum solùm, sed & ignobile & cibarium est vinum. Lex non justa duntaxat,  
B sed

Sed etiam injusta est lex; eò, quòd hæc entia, in sua formali ratione considerata, à bonitate & malitiâ prorsus abstrahant: Ita quoq; par in hæc Rerumpublicarum divisione est ratio. Vid. *Joh. Cas. Sph: civ. l. 3., c. 4., pag. 128. Arnif. l: c. c. v., s: 3., 4 & 5., & c. 3., s: 1., p. 504. Wolf. Heider. Pol. Syst. c. 6, p. 780. Dn. D. Jac. Mart. l. c. p. 316.* aliq; quamplurimi, qui adjungendi forent, nò omnem prolixitatem evitare studeremus.

XVII. Neutiquam tamen assertum nostrum, dum à censu Rerumpublicarum non excludimus vitiosam, ita accipiendum est, ac si probemus eandem, aut etiam Nubianos, Cingaros, aliasq; nebulonum sentinas in Republica tolerandas esse censeamus. Politici enim est optimam, quantum per fortunæ iniquitatem fieri potest, instituere Rempublicam, & aliud certè decretum Comitiorum Imperialium, quod allegat celeberrimus, *Camerarius Cent. 2 Medit: hist: c. p. 75.* graviter edocet atq; testatur. Verùm indicamus tantum, quæ & qualis sit Reipublicæ quidditas & essentia, quòdque ea in sua natura bonitatem & rectitudinem non involvat, sed eandem à fine, ad quem ordinatur, accipiat. Interim non eòdem prorsus modò vitiosam de Reipublicæ quidditate participare statuimus, quò virtuosa de eadem participat; sed *δευτέρας* & per posterius, cum hæc divisio sit analogi intrinseci in species analogas. Maximè enim, & *κατὰ πρότερον* nomen Reipublicæ meretur, in quâ referuntur omnia ad publicum bonum; quia ad hanc, tanquam ad regulam, reliquarum defectus examinantur. Conf. *Arist. 3 Pol. c. 1.*

XVIII. Cæterùm, de essentiali divisione, discrepantes sunt Politicorum opiniones. Alii enim duas tantum dari Rerumpublicarum species, alii tres, alii sex, qui tamen essentielles formas cum accidentalibus confundunt, asserunt. Primæ sententiæ astipulantur *Tobias Paurmeist. l. 2 de jurisd. Rom. Imp. c. 1., n. 6., Joh. Althus: Pol. c. 39., p: 943. Keckerm. Syst. Pol. l: 2., p. 534. Curs: Phil. disp. 29., th. 37, & disp: 36 th: 4., Christ. Matth. Exerc. 2. s: 1., n. 6 & alii.* Secundæ subscribunt *Petr. Gregor. l: 5. de Rep. c. 1., Bodin. l. 2 de Rep. c. 1. n. 174., p. 272., Lipsius l. 2 civ. Doctr. c.*

2. p. 822

c., p. 82., Junius part. 1. quest. Pol. 1., Herm. Kirchn. disp. 3 de Rep. tb. 7., Velsten. disp. Pol. 7., q. 1., Busius l. 5 Pol. c. 1., Haenon. disp. Pol. 9., tb. 2., Besold. class. 1., disp. 5., tb. 2. Hieronym. Frator. Theatr. Pol. 2., s. 1., p. 180., Alsted. l. c. c. 9., col. 233., & Piccartus l. c. tb. 39. Tertiæ astipulatur Plato, teste Diog. Laert. in Vit. Phil. l. 3., p. m. 212. Ultimæ fasces submitunt Polybius l. 6 hist. de mil. & dom. Rom. disc. p. m. 466., Cicero in fragm. de Rep. Dionys. Halicarn. Rom. Antiq. l. 2. Francisc. Piccol. grad. 10. Phil. Mor. c. 7. Nic. Machiav. disp. de Rep. l. 1., c. 2., Cas. Sph. civ. l. 3., c. 5., q. 1., Danaus Pol. Ch. c. 6., p. 49., & alii, à Bodino l. d. n. 175., p. 273., citati.

XXX. Ex his abundè satis liquet, à vero admodùm aberrare Barclajum, qui lib. 3. contra Monarchom. c. 4 asserere non veretur, de eo, quòd sint tres Rerumpublicarum formæ, omnes Politicos, aliis licet in rebus discordes, nullò exceptò, & verbis & animis consentire. Contrarium enim ex autoribus citatis non obscurè liquet. Nos autem, si semotis præjudiciis, rei veritatem intueamur, non possumus, nisi duas species, quas alii indifferenter status, alii formas, alii genera, alii etiam modos appellitant, constituere. Cùm enim Reipublicæ essentia consistat in ordine imperandi & parendi, ordinis verò essentia potissimùm recumbat in uno primo, quod in Republica est summa potestas, rectè etiam ab eadem potestate diversitas Rerumpublicarum petitur. Quando itaq; hæc aut est penes unum, & unò plures indivisim: aut penes plures divisim, duæ Reipublicæ, in communi consideratæ, emergunt species: simplex & mixta. Neq; hæc in parte nobis adversatur Philosophus, qui 3 Pol. c. 7., 4. Pol. c. 3., & 8. Ethic. c. 12. tres dari Rerumpublicarum formas asserit. Etenim loquitur ibidem Philosophus de simplicium specierum ὑποδιαίρεσι, interim propiorem divisionem, inter Rempublicam simplicem & mixtam, minimè præterit; eam siquidem l. 4 Pol. c. 9. insinuat. Meritò igitur nos ne saltum committamus, hanc divisionem præmittimus, & mediante eâ, velut gradu quodam, alias remotiores occupamus.

XX. Est autem *simplex* Respublica, in qua summo ad-  
castas est penes unum, & uno plures indivisim. Estq; vel *Monarchia*,  
vel *Polyarchia*. Ubi tamen circa hanc divisionem (1) probè at-  
tendendum, non obstare illius adæquationi, quòd status mix-  
tus etiam sit polyarchicus. Nam, quemadmodum non obstat  
adæquationi divisionis Philosophiæ in theoreticam & practicã,  
eò, quòd Logicæ quædã quoq; *ἡρώπια* vendicetur, de quã vid:  
*Christ: Matth. Exerc: Metaphysic: 1. disquis. 5 p. 34*: Imò, quem-  
admodum nec inadæquata est divisio habitus principalis in  
theoreticum & practicum, licet & Logica sit habitus practicus,  
quæ tamen non est habitus principalis, sed instrumentalis: ita  
quoq; , ut alia exempla prætereamus, idem de hac divisione  
ferendum est iudicium. Alia quippe polyarchia locum obtinet  
in Republica simplici: alia in mixta. Ibi polyarchia in Majesta-  
tis indivisione, hîc in ejus divisione proximè fundatur.

XXI. (2) Nec illud negligendum, polycratiam, licet  
novam quandam, inter Monarchiam, Oligarchiam & Demo-  
cratiam, non constituat speciem, minimè tamen frustra inter-  
feri, adeoq; rectius Rempublicam, trichotomiã omisã, in  
duas immediatè dividi species, secus, quàm putat *Arnisæus, l. c.*  
*f. 5., n. 3. p. 79.* Distingvendum enim est inter distinctiones &  
differentias, quæ immediatè ultimas species constiuunt, &  
quæ vel genera illarum pariunt, vel unam speciem ultimam  
constituunt, & alteram intermediam. Polycratia generalem  
Oligarchiæ & Democratiæ naturam dicit, & abstrahit, sicq; est  
species subalterna, & sanò in sensu intermedia, quæ postea in  
ultimas illas species subdividi potest, eòdem planè modò, quò  
animal primum immediatè dividitur in rationale & irrationa-  
le, & hoc rursus in ultimas species, lupum, canem, leonem  
&c.

XXII. Quibus ita prælibatis, Monarchiam definimus  
Rempublicam simplicem, in quã S.P. est penes unum, qualis  
est imperium Turcicum, de quo vide *Honor. in disc. de Imp.*  
*Turc. Thes. Pol. p. 123., Bodin. l. 2., de Rep. c. 2., n. 190., p. 307., &*  
*Arnis: l. 2 Rel. Pol. c. 2. f. 3., p. 110.* Theologi paulò secus acci-  
piunt

piunt vocem Monarchiæ, nimirum, non pro unius in subditos imperio; sed pro summò, in mundò, imperiò, à *Daniele c. 2. & 7.*, præfigurato, quod Deus præ cæteris potentiâ instruxit, & dignitate adornavit, ut reliqua ad illud respicerent. Atq; ita non ἐκ τῆς πολιτείας, ut Monarchia politica, sed ἐκ τῆς ποσειδωνίας denominatur, de quâ acceptione vide sis *Velst: disp. Pol. 7. q. 2. Kirchn. disp. Pol. 3. th. 6. Arnis: l. c. p. 108. & D. Christ: Matth: Pol. d. l. exerc. 2., s. 3. p. 229.* Et secundum hanc significationem imperium Turcicum non est Monarchicum. Non enim illud *Dan 7. v. 7.*, per bestiam illam ἀνώθυμον καὶ ἀμορφον adumbratur; sed *v. 8. 20. & 24* per exile illud cornu, inter decem cornua enatum. Vid. *Christ: Matth. l. c. s. 8., p. 246 & 254.*

XXIII *Polyarchia* est, in quâ S. P. est penes unò plures imperantes, & comprehendit sub sese *Oligarchiam & Democrati- am*. Sunt qui cum *Arniseo l. d. l. 2., c. 1., s. 5., p. 81.*, vocem ὀλιγαρχίας ab Aristotele semper in sinistram accipi partem arbitrantur. Verùm contrarium ex *Aristotele l. 4 Pol. c. 3 & 4* satis elucescit, ubi eadem vocabuli generalitas deprehenditur. Et licet vel maximè penes Aristotelē generalis illa vocis hujus potestas non occurreret, sæpius tamen usu venit, ut idem vocabulum sit & generis & speciei, quod de hoc etiam utiq; est sentiendum.

XXIV. Est verò *Oligarchia*, ubi S. P. est penes paucos. Exempla conspicua sunt apud *Wolfgang. Heiderum Pol Syst. c. 6., pag. 899., & 981: Democratia* est, in qua S. P. est penes universos. Exempla denuò præstò sunt apud *Heiderum l. c. p. 941 & 982.* Ambigunt nonnulli, utrum ea inter status Respublicæ sit numeranda. Sed his abundè satisfecit *Keckermannus Curs: Phil. disp. 39., q. 7.* qui consulatur.

XXV. *Mixta* deniq; Respublica est, in quâ S. P. est penes plures divisim. Exempla plurima adduxit *Heiderus l. c. p. 986,* quæ contra adversarios notatu sunt vel maximè digna. Nā *Job. Bodin. l. 2. de Rep c. 1., n. 175 & seqq.* ut & *Piccartus l. c. à 50. 30. usque ad 59* omnino negare audent Respublicam mixtam. Alii specierum quidem mixturam concedunt, sed novam exinde suboriri formam prorsus inficiantur, quales sunt: *Nic. Machi-*

av. in Princ. c. 3., Lipsius l. 2 Civ. doct. c. 2., Timpl. Pol. l. 5. c. 2.,  
q. 7., Alstedius l. c. c. 9., n. 3. Konig part. 1. Th. Pol. n. 30. & alii  
plures, citati ab Excell. Dn. D. Wendelero, Pract. Phil. l. 2., s. 1. v.  
c. 3., q. 3. Verum enim vero diversam ab his sententiam ample-  
ctuntur Aristol. 2 Pol. c. 6., & 4 Pol. 3. Cas. Spb. Civ. l. 3. c. 4., di-  
stinct. 2 dub. 2.: & l. 4. c. 3. p. 179 & c. 7. dub. uno p. 196., Althus.  
Pol. c. 39., Arnis. Rel. Pol. c. 6. p. 861 & 878., Heiderus l. c. p. 982., Vel-  
sten. disp. Pol. 7., q. 5., Schönborn. Pol. l. 1. c. 16., Keckerm. Syst. Pol. l.  
2., c. 4. & Curs. Phil. disp. 36., q. 8. Plur: Rev: Dn: D. Wendelero l. c.  
Dn. Cellarius l. 2. c. 1., n. 16., & alii non pauci, qui adversam senten-  
tiam ab ipsa experientia, exemplorumq; inductione rejiciunt.

XXVI Deniq; cum certum omnino sit, dari Rempublicam  
mixtam, illud adhuc, ne illa cum simplici committatur, atten-  
dendum est, cum non protinus pro mixta habendam esse, quæ  
administrationis modum ab alia simplici mutuatur. Multum  
namq; interest inter ipsam Reipublicæ formam, & admini-  
strandi modum, qui, attestante Philosopho l. 4. Pol: c. 5., nõ  
rarò potest esse Oligarchicus, ut tamen ipse Reipublicæ status  
sit Democraticus, atq; ita penitus simplex. Neq; enim ejusmo-  
di Respublica partim est simplex, quæ summam Potestatem: par-  
tim mixta, quæ administrationem, ut existimat VVolf: Heide-  
rus l. c. cap. 6., pag 984. Hinc ineptè satis exclamat, fallere  
& falli illos, qui hanc Rempublicam, cum simplex sit, mixtam  
esse negant. Nam, quemadmodum in Physicis corpus sim-  
plex non potest esse mixtum: ita nec in Politicis Respublica  
simplex, mixta. Imò ex terminis ferè terminantibus constat,  
non ibi mixtam esse Rempublicam, ubi simplex est, quia in  
simplici æqualiter & indivisim summa est Potestas, in mixta  
inæqualiter & divisim. Impossibile autem est in unâ eademq;  
numerò Republicâ Majestatem esse divisim & indivisim, cum  
idem non possit simul esse & non esse.

Atq; sic de Republica hæcenus in communi. Nos hic  
receptui canimus, solventes

**SOLI DEO GLORIAM.**







*Ad Politissimum*

**Dn. Respondentem, Fauto-**  
rem atque Amicum singularem.

**D**um, quæ sit facies, disquiris, publica rerû,  
Publicitûs laudem publica verba  
dabûnt.

Macte probis ausis ardenti perge labore!

Sic studiis metam summus lōva dabit,

Ut tandem docto possis succedere patri.

Quod precor. Omnipotens pondus inesse  
velit,

ΑΥΤΟΥ. f.

PRÆSES.

---

**Q**vando publicitus quid sit Respublica monstras,  
Nam unus Civis publicum amantis obis!

Hisce suum de egregio præstantissimi

Dni Respondentis

conatu, animum testari voluit.

**DAVID Schindler, Lignitiô-Silesius!**

Si quis

**S**I quis scire velit quid sit Respublica & NO-  
STRUM

HARTMANNUM rogitet, Sicq; ro-  
gata feret. ( bunt

Perge prout pergis, sic TE quoq; dona manes  
Publica, quæ spondet Patria terra TIBI.

*Hæc paucula Prestantissimo Domino*

RESPONDENTI, Sympatriotæ suo  
dilectissimo, affectum suum declarandi  
gratia apponere voluit,

Joh. Friedericus Deislerus,



05 A 2514

ULB Halle

3


004 545 052



WONA








B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



JEHOVAH!

**B**LICA

MUNI,

M POLITICAM

DE

MARTENS,

emensi,

tium disquisitioni

it,

TMANNUS,

Silesius,

*in Auditorio Minori,*

*usinis.*

---

NIS HAKEN,

OC LXIV,

*H. M. Baldin*

